Ossoliński ~~Andreas~~ Abr. Nicolai: Hospes Episcopus.

Patavii ex typographia Camerali 1650.

# HOSPES EPISCOPVS.

Ossolinski

508.



# ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO PRAESVLI

# D. D. ALBERTO

Bini sunt POLONIAE Patroni Illustrissime Præsul. ALBERTVS & STANISLAVS. Possedisti ALBERTVM posside & STANISLAVM.

# NICOLAO

NICOLAVS. Nepos & Cliens Tuus Hospitem Episcopum Tibi Hospiti.

# A B OLEXOVV

Illustre Virorum Genus sæpe Sacrum STANISLAI Nomen tenuit in Hæredes. Vestræ Prosapiæ series bis quaternos numerat Stanislaos. Vester est Domesticus. Excipe nunc peregrinantem.

# GNIEVVOSZ

Amplissimæ dignitatis Tuo Nomine totam impleuisse Poloniam parũ duxisti nisi impleuisses & Latium.

Vsque huc ad famam Nominis Tui sequitur Tè Stanislaus Redux.

## EPISCOPO

Dedico EPISCOPVM CRACOVIENSEM.

## VLADISLAVIENSI.

QVI totus extitisti Vladislauianus: quid ni optabile censeas Stanislauianum esse?

## *ET POMERANIÆ*

Vt CRVCES Pomerania TVAE Crucibus iungantur STANISLAI

## *REGNI POLONIÆ POST REGEM*

# III. SENATORI.

DOMINO PATRONO ET BENEFACTORI AMPLISSIMO.

*Excusabis interim Illustrissime Præsul si tanquam non in Patria loquor. Nunc humillimè deprecor*

dum

*dum immortales Sanctissimi Præsulis Virtutes prosequar vt faueas & fauoris publici viam prolixa humanitate aperias. TE apud Celsissimos Italiæ Principes tot Legationibus functum auspici reditu in Patria remunerabitur STANISLAVS quem TV placidè tractas in exteris.*

Vræ Celsitudinis Deuotiss. Nepos
& Cliens

**Alexander Nicolaus Comes de Tęnczyn. Ossolins Ki. Consiliarius. Nationis Polonę.**



SAlutat TE HOSPES STANISLAVS. Adriatici Neptuni
Troia. Mystici Dulcoris Conuiua, in ore Leonis Tui. Suc- Iudic. c.
cedit, Octauo Idus Maij, Tuis laribus, quos fixisti in Aquis; 14.
quia Terrarum ambitus, non erant satis capaces, TVÆ Virtutis.
Alba AQVILA, Comes est peregrini: manifestat niuosus Color,
POLONAM esse. Diuiduntur cum Ioue Imperia. Aquila Volucrum.
TVA Mænsa Piscium. Leo Quadrupedum dorsis insidet.

*Si fractus illabatur Orbis* Horat lib
*Impauidum ferient ruinæ.* 1.

Non expauescet amplius ad flammas: habet quo restinguat. Scili- Plin. lib.
cet formidabit Orbes: circumactæ sunt MOLINI Rotæ. Minus me- 8. cap. 16
tuet cantantes gallos. Desyt parere Gallina Macædonum. Nun- Alb. Mag.
quam plorabit: quia nunquam morietur. Pacatus viuet: Ramo
Oleæ Columba pepigit Pacem. His gratatur STANISLAVS
TVAM humanitatem Hospitij: quo illum in Vetustissima Antenoris
Vrbe, post pulsum Geryona, aut talos aureos in fontem Aponi ia- C. Sueton.
ctos, cum TVO ANTONIO, Aede in vna collocas. Sed necesse de Vit. Imper. Rom.
arbitor, vt intime cognoscas Hospitem. lib. 3.

STANISLAVM SCEPANOVIVM. Gentilem Vādalici San- Bulla In-
guinis. Ciuem POLONIA TVVM. Vetus & illustris educauit noc. IV.
Familia Episcoporum ferax. Annales; tot Sui Stemmatis notant E- Hist. Pol.
piscopos, quot pullos Aquilæ educunt, iusto partu. Sed natura;
sępe in Aquilis peccat: hic Nidus nunquam degenerat.

Labarum Stemmatis, Genti religiosum: in speciem miraculosæ
Carauacanæ Crucis, nisi Sinistrum cornu inferius demas. Maternæ Bartolom
Domus Character, operatur Pietati toto poplite; in cernuam ado- Paprocius
rationem inflexo. Paterna Signa, inauthorantur ad cultum Numi- In stemmat. Pol.
nis Semiduplici Cruce. Fulserunt Sponsores Cæli, Spe incorrup-
tâ vincendi. IN HOC SIGNO. Verax omen. vbique Sozom.
terruntur hostes vestigijs Crucis. Inde, vt formidolosius terreant, Eccl. Hist.
geminantur Prussorum Cruces. C. Marij Aquilam quæ vicit Ro- lib. 1. cap. 3.
manis Orbem: Magnus Constantinus habilitauit ad victorias, Cruce Socrat. Eccl. Histor.
sculpta. Vincunt POLONAE AQVILAE, quas habilitant Prus- lib. 1.
sorum Cruces. Aquila, quæ recubuit Super pectus cænantis IESV; Ioan. c. 13
eousque sustinuit sub Cruce præstolari, donec retulisset Matrem & Ioa. c. 19.
Tutelam. Non staret tot seculis ad Prussorum Cruces POLONA
AQVILA; nisi subodoraretur & Tutelam.

Descendo ad Natales. STANISLAVS SCEPANOVIVS ; na-
tus est in Iustitia, cum Sol anhelasset ad Libram. Sol sæpe Libram
deserit, æquitatem. STANISLAVS, nunquam deseruit. Tædiosi
Marc. cro merus Pol. Hist. Parentes, diuturno prolis desiderio sunt ancti, tribus decennijs. Sed
non omninò succenseamus Saturno triginta Annis suam legenti pe-
riodum ; qui fertilitatis sit inuentor.

Longâ sterilitate temporis, post conditam REGNI POLONI
Libertatem; Sexto annorum centenario nascitur STANISLAVS.
Pridem, sex iam TIBI effluxere sæcula; ex quo candidioris vitę mi-
raculum, non edis POLONA Tellus. Parcamus sterilitati Paren-
tum. Ipsa Magnorum Virorum Regna, & Sæcula sunt sterilia. Et
Licet Phœnicis vitam exegeris, plena dierum POLONIA. Non
cremat sui sepimenta Nidi in alteram Auem TVA AQVILA.

Antequam sciret viuere STANISLAVS, Diuorum ministerio
nuncupatur. In cunis, mox seipso maior: vt iam tùm Aquila ; suo
Ouid. in Metham. Ganymede digna senserit, quem rapiat Ioui. Ita cunas egressus,
Cœlestis ille fætus; in eam speciem formari cepit, quæ probantes Poe
Statius. tas, pueri Phrygis vultum, aut Laconij formositates ephebi, fatigaret.
Os, oculus, supercilium, genæ, qualia in Angelorum signis aspici-
mus. Totius Corporis gestus, parcus, & liberalis. Viuax indoles,
& venustissimo corpori par; grati & innoxij impetus, spirantes diui-
nę mentis imaginem.

Exacta pubertate, consignat idoneam iuuentutem Mineruę for-
matrici. Gnezna tum REGNI Caput, dispensabat vulgares Musas,
domestica fama. Solliciti Parentes mancipant tenui Gymnasio vo-
lentem. Sed conatus Dædali angustum littus non tulit. Volat Ille
sublime, vixdum intrasset Nidum. Non defuturus Parens, Lutetiã
Parisiorum ablegat flagitantem. vbi cultrix illa Gallicæ iuuentutis,
per tot Sæcula, Orbi altioris Sapientiæ pandit oracula. Vernans
Adonis, apponit Floris candori. Laxantur vberius Lilia Francica, ad
exortum Aquilæ, in Horizonte Gallico, Delicium Palladis. Ita
discere voluit, vt omnia sciret. Cumque (quod solenne est Gallis)
Plin. lib. 9k. cap. 4. scire vincere vellet in meditullio Gallorum scrutatus est Gemmam.
qua vinceret Crotoniensis alter Milo.

Repetit Paternos lares, peregrinis animi mercibus grauis institor.
Depromit inæstimabilia Vnionum pondera, quibus distinguat
AQVILAE Regalis Diadema; & Tiaram Sibi. Salutant, explorata
Vir-

tutum mercimonia, lætabundi Sarmatæ vtriusq; ripæ ad Vistulã.
Numinis rarum munus, inuidet admirata Vicinitas. Probat Capi-
tolinus Ordo. Stupet Aetas.

Deficiẽte Archiepiscopali Titulo, LAMBERTVS Nobilitatis Po
lonæ facile primus, moderabatur Basilicæ Cracouiensis ritus, Epi-
scopali clauo. Sacerdos antiqui moris, & in quo, secundi Aaronis
vultus, & candor, sinceræ posteritati fulserant. Transilit, peruagatâ
Regia, ad Aedes longęui Vatis celebre Viri Nomen; auctoque ru-
more, non perfunctoriè quatijt, Senis Antistitis aures. Non patitur
Diuinus Mystes generosos insultus deprimi pubescentis Aquilæ.

Primùm, Cooperatorem Misteriorum VERBI INCARNATI
debitè initiat mox Regale Sacerdotium, Coronis Canonicorum. S. Augustin
Cracouiensium decorat. Ter duodenus ille Sacratorum Cętus, ter
Rex est in suo stemmate: accumulante Fortuna opes & Purpuram.
Patrius Ales ab illo Cubili, arcet minores Aquilas. Singuli illustri-
bus Familijs nati, non moritura linquunt posteritati marmora. Præ-
ter ea, quæ vocant, pręstimonia, immensis patrimonijs aucti. Dum
spectas singula: Sedis illius Reguli. Subselliorum supercilio, nullũ
grauius; si iungas paludamento Mitram & Galerum. Nullus ex eo
Nido, frustra elicitur ab Aquila; nisi ad REGNI munia, aut ad In-
fulas. Inconcussus hoc rerum sereno statu STANISLAVS; omnia
in DEVM Pietati dedit. Non duci fulgore auri, aut lubricis morta-
lium curis: Sed pro caritatibus, pro familia, pro Domo, Cælum æsti-
mare, neque illa sua esse sed Numinis. Sic prensare Cælum quasi Ter-
ra sit caduca. Sic frui Terra, quasi Cælo nati simus. Ita flectere
Animum, vt incolam Corporis: ita corpus, vt mancipium Animi.

Interim Lambertus (quales vtinam sint Oratores sacri) facit Os
illud Veritatis loqui. Producitur in Sacra Rostra minaci lingua vin-
dex Demosthenes: quia impegerat secundò, corrupta Aetas illa in
Philippos. Spectat Aquila suam sobolem, superum ministerijs di-
gnatam esse. Sed quæ ante mansuetam Palladem pacate complecte-
batur; ea nunc, cum corusco Ioue seuere fulminat. Deturbat stre-
nuè, fidus Diuorum Armiger, Cælo improperantes: & arroganti fa-
stu infascinata Capita, ex summis culminibus decussa, in imo calcat.
Saxosa & sterilia corda, vbi non fæcundat Aetide, pulsat trisulco ful-
mine. Rorant Aegyptiaci silices, emolliti Moysis ramo efficaci. In
languidos liquores eunt crudæ cautes, nec parcitur obscæni Vultu-
ris

ris nidis a pura Aquila. Soluit glaciales ſcopulos, algida Sarmatia, in lachrymas Magdalenæ:

*—— & madidos Magni Gedeonis imbres.* (Mantuanus in Maria.)

Tota Lechia, facilitatur ad ſingultus Petri quaſi clangente gallo Induitur Sagus Pænitentium Septemtrionalibus Niniuitis, quo concretæ præcordiorum incaleſcant niues. (Ionæ cap. 3.) Fęlix videbatur POLONIA ſuo Neſtore: ſi in illo nectare non ſuxiſſent Napellum oſores Veritatis.

Iamque incumbente Senecta, ſenſim deſtituebatur Lambertus, vigore Corporis, non Animi. Partitur ingrauescentiam laborum, cum robuſto Hercule ſenex Atlas: & fruſtra reluctantis lacertis deuoluit ſuaue onus. Quid pręſtitit LECHE generoſitas TVAE AQVILAE? Viuente adhuc Lamberto, Coadiutor Ampliſſimi Epiſcopatus Cracouienſis STANISLAVS aquilina indagine explorat, illius oneris grauitatem. Funerato Præſule communibus Sacri Collegij, adde & REGNI votis, EPISCOPVS CRACOVIENSIS nuncupatus, conſultas iam ante vires, tentatę moli ſubijcit Tripudiant ſereni Cines, in illius Pontificatus crepundijs; quia pandebatur & Hymen. Eccleſia Cracouienſis defuncto Lamberto erat ſibi relicta ſubleuat Ille viduam; benedicente Nuptias BENEDICTO V. quaſi ad inuidiam Virginis, quam nuper Phœbus repudiauerat in ſuo epicyclo.

BOLESLAVS tūc latè iura dabat Populis, gladio aut ſpōte obnoxiis. Rex Magnis Regibus, dextra & animo nō impar; niſi crudelitates Neronis, aut libidines Caligulæ maluiſſet. (C. Sueton. Caſſius. Dio.) Iamque virtuti eius, ſcripſerant ſui Dalmatæ, Audacis nomen; ſed illud dedecus, in prauam detorſit ciuilitatem. Laſciuiebat parùm pudicus Princeps, nactus ignauias pacis: cultriceſque amorum Columbas, illis admiſit thoris, quorum bellaces Aquilæ hæredes erant. Exorbitantes Regis Veneres, Sanctiſsimo PRAESVLI dedignanti, copiam feſtinati ad Regiam itineris faciunt. Teneris Ille hortatibus, quales exorantium eſſe ſolent, demulcet arrogantem.

Sed contumacia monitis aſperior, acquirit robur; in Dauide pridem adulta. Facit Rex Chriſtinam, ſpectatæ alioquin nobilitatis fæminam, malè vtilem Regalis cœſti; mœcham ſobolem non legitimante marito: (Ioan. Dlugoſſius.) quod & ſuæ Aquilæ reprobant. Allidit degener Gneſion, ad Petram Gneſnenſem: (Plin. lib. 10.) quia primus & Petrus moderabatur illas Claues. Nuncupata Synodus effrontis adulteri caſtigatorem,

rem, ſimplici calculo STANISLAVM dicit: declinante offenſam vnoquoque. Nanciſcitur Antiſtes Audacem inter reproba ocia ſupinum; Vratislauiæ in Vrbe Sileſiæ principe, quam nunc dotes Reginarum a REGNI finibus diſcernunt; fortè ſuę libidini bonâ: præuentumque ſuffundit, ad vtriuſque vultus excandeſcentiam. Non licere ſibi habere vxorem fratris ſui. (Marci capite 6.) Reges nec Cœlo tantum, ſed & oculis hominum peccare; Vnctas Principum ſcapulas, non oportere ſcortis profanari. Tullianæ Veritatis prodroma, minatur ſubulam vltrix Liuia: ne quod olim Domini Seruorum auribus, illa tuæ libertati faciat. (Exod. cap 21. Deut. cap. 16.)

Inſtauratur Calumniæ Currus Triumphalis. Tum primùm creuiſtis POLONI Veſtras AQVILAS, quæ alioqui puris mentibus candorem inſtillant, degeneraſſe in Coraces. Sic primęuam Regnorum innocentiam proſtitui impertinentijs vindictarum. Erat dumtaxat Sacroſanctus mos Polonis, potuiſſe Clerum conciliare bona Nobilium in rem Eccleſiæ. (Cōſtitut.) Sed quia Petrauinorum Sepulchra commouebantur lex hodierna, ſuſtulit. Tali iure mediocre Nobilis Viri prædium, ad ripas Viſtulæ, quęſierat STANISLAVS in Epiſcopatus commodum; quia noluerat in poſteros. Orditur Cauſam quaſi perperam poſſeſsi, non æquus Princeps, Solecium verſùs laxatis papilionibus, vt inuitaret ad ſpectaculum & Solem. Approbat Caſtra militum iniuria & iniquitate eſſe potiora, quam Principum Aulas.

Egenus viuæ veritatis Pręſul, quia cum fide erat Petrauini funeri contumulata: compromittit cum partibus in teſtimonia mortuorum. O Sæcula! O Cęlum! Explorantur gelida Terræ viſcera: pulſantur ſepulchrales petrę, vt reſtituant Petrum. vocantur luridi manes, obliuioſis oſsibus. Extrahitur exanguis vmbra, collectis vtcūq; pelle & oſſibus. excapillato ſincipite, cauis luminibus, exeſis naribus, integra mortis imagine, quales faſtiditis & pingi. Reſumptiſque ſpiritibus, vt primùm fari potuit. Impii Rex & Nepotes eſtis. Quid placidè quieſcentes turbatis Animas? Huic ego rus meum iuſto precio vendidi. His dictis. Rediit Veritate iterùm fortè ſublata in tumulum. Et neceſſe eſt accire pro Tribunali Petrauinos, ſi fuiſſent Stanislai. Inęſtimabilis Crux ſalutis noſtræ, ægrè in Golgatha extollitur; (Matth. capite 27.) ſubitò petras ſcindi, monumenta aperiri, multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurgere; vidit incredulitas Gentis Idumeæ. Sed vt hucuſque non videat. Facta hora Sexta, tenebræ factæ ſunt (Mac. c. 15. Luc. c. 23)

vſque

vſque ad horam nonam. Inclyta Sarmatia. Vidiſti Gentis Pruſſo-
rum Cruces, petras ſcidiſſe, aperuiſſe triennalium manium vrnas,
excitaſſe oſſa arida. Caue tenebras a ſexta ad horam nonam.
Ezechiel cap. 37. Victis Ruthenorum Ducibus erectior Boleslaus, inter oblectamẽ-
ta Kiouię, quę veteris Troiæ ruderibus inſiſtere creditur, inſoleſcebat.
Regis moram, & vxorum domi præuaricãtiũ nõ ſeruata fœdera, per-
oſis militibus, dilabitur iuſta pars exercitus. Sequitur vlturus vtroſ-
que trux Tyrannus: & in reditu, adhibet adulterarum matronarum
pectoribus, iuſſos canes vt ſęuirent. Diſſociat inhoſpitem Aquilam
a manſuetis ſolers Paſtor; in ſuũ caput cruentos conuerſurus vngues.

Furori Regis amentiam acuenti, ea vindictæ cupiditas arſit, quę
quotidiano feruore fremebat, euiſceratam rabiem Pontificis cruore
quantopere ſaginari. Eſt Cracouiæ ſuburbanum, antiqua religione
nobile, Sãcti Michaelis Sacellum. Vetus Rupella ſuis AQVILIS. Ibi,
Octauo Idus Mai. Exhorreſcit calamus. Atrociter deliberatum fla-
gitium perficitur. Secretò operantem Numini. Timeo proloqui.
Inter tremendi SACRIFICII Altaria. Princeps trucidat Pontificem.

Ceſsate Buſyrides, aut longinquiores Thracibus, qui ſaturamini
ſectis corporibus ſuorum Parentum. Nulla Aquila intriuit vnquam
carni crudelius vncum; inuitata licet a Vulture ad iecur Tityi. Appo-
Ouid. in Metham. ſuit Thyeſtis dapes cruentus Atreus ſuis Sarmatis. Duobus & Se-
ptuaginta fruſtis diuiſo Pontificis Corpore. Iuſta portio vniuſcuiuſ-
que Diſtrictus TVI POLONIA, Scilicet in tot ferme Territoria Ma-
iora diuidis REGNVM. Memorabiles Idus, quibus ab ipſis (ſi fas di-
cere) erratum eſt Aſtris. Deflexerat Sol ex ſuo Zodiaco in Phalari-
dis Taurum, quando litatum eſt Ioui, in ſinu Sarmatiæ, non cruore In-
fantium ſed Epiſcopali.

Per patẽtes agros latè proiecto Corpori, parentant vigiles Aquilæ
ieiunante fidelium volucrum feritate. Non plus biduo, dum vocat
Sacer Ordo, ad compagem Corporis ſua membra, increſcunt diuini-
tus articulis vltro. Vnius abſentia pollicis Cœleſti lumine inueſtiga-
Ionę c. 2. tur poſt triduum in ventre Piſcis: minor particula integro Iona.

Ita Corpore & Animo integerrimus ANTISTES incorporatur
Cœlo; panſiſque LECHIACAE AQVILAE pennis conuexum tranſ-
uehitur Poli. Faceſſite lymphati Augures. Nemo vnquam potiore
orbita triuit iter mollius: Bonis Auibus: Tepeſcentes igniti carpenti
4. Reg. 2. rotas, flammanti reſuſcitat zelo, Helias alter Orbis Sarmatici: & pa-
tentiori,

tentiori, ſupra tertium Cœlum aſſultu rapitur: fide exequata Pauli. 2. ad Corinth. 12.
Polonicus hic Moiſes. Sinai ſacroſancti illius Montis imperſcruta-
bili altitudine, a terrena depreſſione longè elocatus. Videt Dominum Exod. cap 19.
facie ad faciem. Non eget Iacobi Soporati ſcalis, quibus Angeli
aſcendentes & deſcendentes, ægre fulti promouebantur. Ardor Se- Gen. c. 32
raphicus Illi, non amburit, ſed addit alas, in flammis repullulantes, Gen. c. 28
quibus ceratis liquentes pennis Icaros, ex alto ſecurè deſpicit. Fruſtra
eluctaris in ſublime Sancta Ieruſalem, abſcedentis veſtigiis inſiſtit
pernix AQVILA: auratiſq; TVIS poſtibus importat LECHIACAM Apoc. cap 3.
Prolem æternum regnaturam.

Ecce Veſter HOSPES in AEde Patauina SERENISSIMA RES-
PVBLICA VENETA. Hunc tracta tanquam Peregrinum, adora tan
quam Præſulem, ama tanquam Domeſticum.

Pataui j, Ex Typograph. Camerali
Superiorum permiſſu.
M. DC. L.